



EXIMIIS, DOCTRINA PRÆSTANTIBVS,

artisque Pharmaceuticæ peritissimis
viris.

Dn. IOANNI IACOBO FLÖSSERO.

Dn. IOANNI MÜLLERO.

Dn. IOANNI CASPARO SPARR

Et

Dn. GERHARDO SOUALL

Augustæ Mœnofrancofurtensium Reipublic. pharmaco-
pœis maximopere industriis, amicis suis fynce-
tissimis.

PETRVS UFFENBACHIVS

Reipubl. Eiusdem Archiater.

To vrydagenv.

Quod ea publici iuris facere, totique velut
mundo propalare ausus fuerim, viri præ-
stantissimi, mihiq; amicissimi, quæ vestris
officinis hucusque fuerunt peculiaria, adeo
vobis molestū esse non poterit, si perpenderitis, quā-
to cum fœnore ea ipsa vobis restituam. Pro eo enim,

* 2

quod

quod secreta quædam, (si secreta dici mereantur) à collegis olim meis, in Christo pie defunctis, vobis communicata diuulgo, præter IOANNIS RENODÆI & JOSEPHI QVERCETANI opera pharmaceutica, iam ante quidem ædita, multas etiæ alias medicamentorum saluberrimorum formulas ac descriptio-nes longo tépore à me collectas, ex probatissimorū autorum meorumq; hinc inde præceptorum monu-mentis depróptas & multipliciter in praxi mea pro-batas vnâ cum vestris vobis retribuo ac dedico, inue-nietis quorum legisse non pœnitabit. Liberalitatem itaq; fauoremq; hunc meum grato animo suscipite, boni consulite, & si quæ bilis exinde suborta fuerit, candore vestro eam corrigite; considerantes nimirū, vitium non esse magis detestabile, tamq; Deo & ho-minibus odiosum, quam inuidiam; & inhumanum plane videri, sibi soli ea reseruare velle, quibus innu-meris subueniri potest.

Vt autem sciatis, quæ in duobus hisce operibus à me adiecta fuerint, iis in officina pharmacopœorum seu antidotario IOANNIS RENODÆI ubiq; voca-bulum ADDITIO, in pharmacopœa vero JOSEPHI QVERCETANI, cum & ipse huius vocis sæpe me-minerit, ADDITIO P.V. præmisi. Dabantur ex mu-sæo meo, quod est in nobili Francofurto. Prid. Idus Septembris ANN. MDCXXXI.

IOAN-